

celles de Poncin. A la suite des franchises énoncées sans ordre aucun, est la ratification de la charte en date du mois

2. Et Burgenses non tenentur dare eidem domino sive mutuare aliquam pecuniam vel quodlibet aliud nisi de ipsorum processerit voluntate.

3. Si quis emerit domum in villa Poncinis tenetur Domino de tertio decimo denario, pro laudibus et venditionibus et non ultra ipsi Dominō, vel baillivo ejus.

4. Si quis autem pro sepultura sua legaverit eleemosynæ, vel sacerdotibus domum infra villam Poncinis bene potest hoc facere, sed infra annum et diem debet vendi laico homini qui possit, et debeat tanquam Burgenses alii facere usagium dictæ villæ.

5. Si moriatur aliquis sine testamento, et sine omni hærede, Burgenses senioris concilii qui sunt in villa per se, et sine mandato et familia Domini debent capere res defuncti et custodiare per annum et diem post mortem ipsius et debent satisfacere Burgensis mortui creditoribus et cuilibet cumquerenti de ipso super usura et maleficio et Ecclesiæ pro anima sua, reliqua debent cedere in bonis Domini de Villars.

6. Si sine testamento moritur et hæredes habeat propinquus succedit eidem in hereditate.

7. Quicumque per annum et diem in villa Poncinis steterit et fidelitatem Domini et villæ juraverit, vel usagium ipsius villæ fecerit de pedagio et leydiis immunis est, et eodem gaudet privilegio quo alii Burgenses.

8. Si aliqui Burgensi ab aliquo res sua ablata fuerit, si juri stare velit, Dominus debet facere reddi res suas si potest cum expensis suis propriis et non debet inire concordiam cum raptore quousque res ablata fuerit amittenti et si aliquis Burgensi eidem in capiendo vadio, aliquam vim seu violentiam inferat, Dominus de Villars debet eam vim et violentiam removere et non toto posse facere emendari.

9. Similiter dicta franchise continetur quod Dominus de Thoire et de Villars vel ejus mandatus aut Baillivus ejus vel tenens curiam Domini aliquam Burgensem dictæ villæ Poncinis non capiat, nec capi faciat, seu capi patiatur propter pecuniam suam, vel propter aliam causam nec equum nec asinum, nec aliquid quod ejus sit, nec ejus domum firmet, vel firmari faciat, quod si factum fuerit Dominus habeat pro non facto, et Burgensi faciat emendari, nisi tale maleficium perpetraverit, et legitimate probatum fuerit, proque secundum villæ Poncinis usagium meruerit quod pecunia sua vel ipse Burgensis, debeat devolui ad manus Domini, nec debet Do-